



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem**

**Opfermann, Paul**

**Moguntiae, 1769**

Angeli prorsus incorporei, & merè spirituales sunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40701**

4 DE STATU

§. I.

*De iis, quæ ad naturam Angelicam per-*  
*tinent.*

Angelos prorsus incorporeos & merè spirituales  
Ange esse satis innuit S. Scriptura, dum eos esse spiritus  
li sunt simpliciter pronunciat: *Qui facit Angelos suos spi-*  
*ritus Ps. 103. Nonne omnes sunt administratori*  
*spiritus? ad Hebr. 1. Assumit septem alios spiritus*  
*nequiores se. Luc. 11.* Nomen autem spiritus est  
æquivalenter negativum, excludens quodvis mate-  
riale. Unde Patres Synodi Nicæna II. Act. 4.  
*Veneramur, inquit, imagines Sanctorum, &*  
*incorporeorum Angelorum, utpote qui tamquam*  
*homines figurâ humanâ justis apparuerunt.* Fu-  
xe equidem olim diversæ hac in re Patrum sententiae:  
dum alii Platonem secuti putarunt, Angelos tam  
bonos, quam malos naturaliter sibi unita habere  
corpora. Hos inter fuit S. JUSTINUS in *Dial.* cum  
Tryphon. ubi Angelos ita corporibus præditos esse  
autumat, ut ali etiam illos in cœlo, vescique velit  
ignoto nobis & inusitato ciborum genere, idque  
in Scriptura (Psalmo 77.) *Angelorum panem no-*  
*minari.* Idem in *Apol.* 1. ait, Angelos inferiori  
hunc Mundo præpositos cum mulieribus stupri con-  
suetudinem habuisse. Quod ipsum plures alii tra-  
diderunt, veluti ATHENAGORAS in *Apol.* CLEMENS  
Alexandrin. L. 3. Strom. METHODIUS in L. de re-  
surrect. apud Epiphanium Hæres. 64. TERTULLIA-  
NUS, aliqui, qui proinde omnes Angelis corpora  
quædam tribuerunt. Alii corpora equidem, non  
tamen vera, & propria, Angelis attribuebant.  
Nem-

## NATURÆ ANGELICÆ. 5

Nempe corporis nomine id omne significari volebant, quod certo loco definitur, & naturam habet circumscriptam. Quo sensu solum Deum, utpote immensum, esse incorporeum adfirmabant. Alii iterum vera, subtilissima, & ætherea Angelorum corpora finxerunt. Ita sentiebat JOANNES Thessalonicensis in Synodo II. Nicæna, ajebatque in eadem opinione fuisse *Basilium*, *Athanasium*, & *Methodium*; quam tamen opinionem ista Synodus neutram approbavit, neque etiam definiit, utrum Angeli corporei sint, an incorporei. At non defuerere ex Patribus plures, qui Angelos simpliciter *ἄσωμάτους* & incorporeos dixerunt. Sic S. GREGORIUS Thavmat. *Hom.* in Theophania, Angelos dixit *ἄσωμάτους οὐρανίους incorporeas virtutes*: S. GREGORIUS Nyss. *ἀσώματον κτίσιν incorpoream creaturam*: S. GREGORIUS Naz. *Orat.* 34. Angelorum naturam vocat *intelligibilem*, & *incorpoream*. Eodem illos nomine pluribus in locis compellat S. CHRYSOSTOMUS, uti *Hom.* 22. in Gen. & I in Matth. In L. I. ad Stagirium: *Fecit, inquit, Angelos & Archangelos, ac reliquias incorporeorum substantias.* THEODORETUS Q. 20. in Gen. imaginem Dei probat non in eo sitam esse, quod in anima sub aspectum non cadit, *alioquin potius imagines Dei vocarentur Angeli, & Archangeli, & omnes incorporeæ sanctæque naturæ, utpote corporibus vacuae, & sine ulla missione minimè aspertabiles.* Quod itaque dicitur Gen. 6. v. 2. *Videntes filii Dei filias hominum, quodd essent pulchrae, acceperunt fibi uxores ex omnibus, quas elegerant, non de Angelis, sed de filiis & posteris SETH, qui ob vitæ morumque sanctitatem filii Dei, sicut Cainitæ non-*

nisi terrena sapientes, filii hominum vocabantur: nam continuò sequitur v. 3. *Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus (h. e. spiraculum vitæ à me inspiratum, sive anima) in homine in æternum* (h. e.) non vivet tanto tempore, quanto Majores vixerunt) quia caro est: eruntque dies illius (puta illorum, qui eo tempore vivebant, ut habent LXX.) centum viginti annorum. Hoc nempe fuit illud temporis spatium, quod Deus hominibus peccatoribus indulxit ante diluvium.

¶) Angeli tametsi omnis materiaꝝ expertes sint secus ac VV nonnulli opinati sunt; qui spiritualem nescio quam materialiam Angelis adhærere fingebant; non tamen ita simplices sunt, ut nihil adventitium in illis sit, quod ab iisdem nequeat separari. Hanc enim simplicitatem atque immutabilitatem solius Dei propriam esse, hodie TT. facile largiuntur. Quis neget gratiaꝝ donum naturæ Angelicæ superadditum? quis adfirmet, Angelum unâ cognitione attingere omnia? igitur plures & successivas rerum diversarum cognitiones habet. Fuit quoque Angelus, cùm in via esset, amoris & odii capax. Quæ singula perfectissimæ simplicitati prorsus inimica sunt.

5.  
Im  
mor-  
tales

*Angelos tam bonos, quam malos in perpetuum duratores esse, Fides docet. Et de bonis quidem Angelis dicitur Luc. 10. v. 36. Neque ultra mortales poterunt (Beati post resurrectionem) æquales enim Angelis sunt. De malis verò Matth. 25. v. 41. Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus. Ex Patribus non pauci negant, Angelos ex natura sua immortales esse. Nec Angelus immortalis est naturaliter (inquit S. AMBROSIUS L. 3. de Fide c. 2.) cuius immortalitas in voluntate est Creatoris. S. DAMASCENUS L. 2. c. 3. Immortalis*